

3059

C O D I C E S

3060

Anno domini M^o. CCCC^o. XXX. III. finitus est iste libellus XII. die mensis Januarij. Per Symonem presbiterum de Glatbouia tunc exulem in Patauia. Atqui hoc tempore aut Hermannus O. P. Ep. Prifnensis, aut Petrus II. O. M. Ep. Marchopolensis Suffraganeus Patauiensis fuit, cuius proinde nomen erasum, substituto Andrea. Simon porro, utut turbis Hussiticis extorris, laborem tamen suum Patriae suae destinasse videtur; nam *Litaniis* OO. SS. nomina Indigetum *Bobemiae Viti*, *Wenceslai*, *Adalberti*, *Procopii* curate inferuit.

Anteriori Codicis Thecae verba quaedam intus characteribus grandibus Cyrillicis, Glagoliticisque mixtis adscripta sunt, e quibus tamen ob aliquot formas peregrinas interjectas nihil extundas.

DCCCXLIII.

⁴⁶⁷ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 24. 4. in fine mancus continet *Emendationes* variorum *Hymnorum*, item *Sequentiarum*, *Responsoriorum*, *Orationum* Officii Ecclesiastici. Autor earum cordatissimus noster *Jacobus Wimpbelingius*, ut partim ex ipso fragmento nostro, in quo *Isidoneum* suum citat, partim ex Editione *Argent.* 1513. 4. constat. Nobis initium est: *Loci deprauati in Hymnis. Corde natus. In Hymno corde natus, in secundo Versu legendum est: O beatus ortus, et non partus, quia tres debent esse trochei &c.* Finis vero: *Sunt etiam*

qui libros deprauant: et nefas abradunt — —. Dolendum, neminem ante nos ad Autoris nostri Scripta colligenda animum adpulisse, quod, ut post Cl. *Jos. Ant. Rieggeri Amoenitates literar. Friburgenses* multo foret expeditius, ita aevo hoc nostro futurum vix sperem.

DCCCXLIV.

Codex membraneus lat. incertum quando, non tamen ante Sec. XII. ut videtur, scriptus, Folior. nunc 89. 8. tam singularem characterum formam exhibet, ut *Lambecius* ὁ μακρογίτης olim ratus *aethiopicos*, seu *copticos* esse, fragmentum inde depromptum ad *Jobum Ludolphum* hujus literaturae tum fama florentem consilii capiendi causa miserit. Narrant rem non sine lapsibus *Wilb. Tenzelius* in *Colloquiis mensr.* vernac. ad an. 1691. p. 248. et *Baudelot. Dairvalius de Utilit. Itinerum gallic.* edit. prior. T. II. p. 434. posterior. p. 84. *Ludolphus* examine instituto characteres quidem profus exoticos, sermonem tamen latinum et quidem *Evangeliorum* πειρικονας iis inclusas deprehendit. Concinnavit igitur Clavim alphabeticam, eamque unacum Fragmento ad *Lambecium* remisit. Fragmentum istud 2. foliis constans, quorum excisorum vestigia in Codice inter foll. 84. et 85. etiamnum manifesta sunt, deinceps una cum Clavi, nescio, quo facto, deperiit. Quod damnum Cl. *Kollarius* eatenus refarsit, ut et

nov-